



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 122. Sessio IX. Synodi Ferrariensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

id diferte prohiberet, haud amplius erat ^{sæcul. XV.} licitum; explodenda enim, ac superva- ^{A. C. 1438.} canea foret ista Synodi lex, si tantum ea, quæ antiquæ fidei contraria sunt, addere vetuisset; hoc enim nunquam permiffum, sed semper interdictum fuit. Quinimo hujus Concilii Patres *vocem illam (Deipara) id temporis adeo necessariam, quæque in sacro Symbolo continetur apertissime, quamvis opus esset addere, non addiderunt, legem a se latam facto comprobantes.* Denique ipsa Concilia, quæ subsequerentur, suas definitiones, etsi tantum doctrinæ in Symbolo contentæ explicatio fuissent, eidem tamen inserere non præsumperunt.

§. CXXII.

Sessio IX. Concilii Ferrariensis.

Habita est die Martis quarta Novembris ^{Conc. Gener.} Sessio ordine nona, in qua Bessarion, ^{tom. 13. p.} suam orationem præcedenti Sessione cæ- ^{150.} ptam, ob angustias temporis tamen intermissam repetiit, integre argumentis, quæ Andreas Rhodius proposuerat, responsurus. Pluribus itaque demonstratum ibat, Sanctum Cyrillum, & Agathonem Papam non modo ea, quæ ipsam fidem labefactarent, symbolo addere vetuisse, sed etiam quamcunque additionem rejecisse. Cum vero Rhodius Romanam Ecclesiam sua auctoritate ac potestate quicquam Sym-

Sæcul. XV. Symbolo adjicere potuisse, assereret, te
A. C 1438. spondit Bessarion: *Scimus quidem, quæ sint
 jura & prærogativæ Romanæ Ecclesiæ, nihilominus scimus etiam, prærogativæ ipsius
 quos terminos habeant. Norint tamen Græcis facultatem hanc negari universæ Ec-
 clesiæ, Synodo etiam Oecumenicæ; si ergo in
 universali negamus Ecclesiæ, multo magis
 negabimus Romanæ, negamus autem non ipsa
 a nobis, sed arbitramur hoc Patrum decre-
 tis negatum.* Bessarion ubi suum sermo-
 nem absolvit, Latini ad disputandum se-
 lecti, collatis aliquamdiu inter se consiliis,
 Papam adeunt, & suas sedes ex ejus be-
 tere positas repetunt, nec eo tempore
 quemquam eorum a Bessarione propo-
 sitis occurrisse liquet. Tandem vero An-
 dreas Rhodius seu Colossensis respondere
 aggressus est; attamen, cum oratio ejus
 extemporanea esset, nimium in superfluis
 excurrisset, nonnunquam etiam a propo-
 sito sermonis scopo defecisset credebatur.
 Tandem vero ad ipsam dogmatis summam
 transit & oratio ejus usque adeo nullis
 adstricta erat propositi argumenti legibus,
 ut ille qui conscribendis hisce disputatio-
 nibus nominatus erat, affirmare non de-
 bitaverit, Andreæ dicta haud quaquam
 actis inferenda, eo vel maxime, quod &
 Græci iisdem respondere detrectassent.

*Acta Conc.
 Flor. to. 13.
 Conc. Labb.
 p. 154.*